Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1269
Quelle:
Copyright:

ſime, deinceps paullo majori charactere nitide exaratus, coloribus diſtinctus, et olim, ut praefert, *Monaſterij Monſee* O. S. B. quod in *Auſtria* ſuper. fuit, ſequentia offert. I. praemiſſo Quaeſtionum Indice *Summam*, ut e calce adſumo, *Magiſtri Gwillebelmi abbreviatam.* Eſt ea diſtincta in IV. *Libros* ad modum *Petri Lombardi*, quem etiam reſpectu ad materiam aemulatur, quin praeit potius, ſiquidem is ſit *Guilelmus de Campellis* cognomine *Venerabilis*, Ep. *Catalaunenſis*, defunctus a. 1121. Hunc enim *Sententias Theologicas* reliquiſſe *Oudinus* αὐτόπτης Codicis T. II. *col.* 965. teſtatur. Nec obſtat, aliud ab eo principium Operis citari, quam Codex noſter exhibet, qui incipit: *Cupienti ſummam cum utilis et neceſſarie* &c. cum hic non ipſam *Summam*, ſed *Abbreviationem* tantum illius, uti dictum eſt, complectatur. Fertur quidem etiam *Guilelmus Peraldus* O. P. in *Libros IV. Sententiarum* ſcripſiſſe; verum, ſi de eo res eſſet, Librarius noſter *Fratrem de Ord. Praed.* et non *Magiſtrum* adpellaſſet. Aliam Summam *Guilelmi Altiſſiodor.* dedi hoc *Vol. Guilelmum* autem *Alvernum* Ep. *Pariſ.* Opus ſimile condidiſſe non invenio. Ad calcem addita ſunt quaedam ex *Alexandro Alenſi* de Sacramentis.

II. *fol.* 56. ſequitur *P. Ovidius Naſo de Remedio Amoris* ſtipatus cum Scholiis marginum, tum Gloſſis, ſeu vocibus ſynonymis inter lineas. Scholiaſtes incipit: *In principio huius libri quinque requiruntur, ſcilicet Materia. Intentio. Vtilitas. Tytulus. Cui parti philoſophie ſubponatur hoc opus* &c. Ubi de Intentione agit, ridicule ait: *Ovidium dare precepta, quibus malum et inceſtum amorem uitare poſſimus, ut de alienis uxoribus et monachabus.* Textu ſpeciminis ergo collato in primis 100. Verſibus non niſi ſequentia *Burmanno* non obſervata deprehendi: V. 52. *At tamen exemplum* pro *exemplo.* V. 65. *Da Paridem* pro *Redde Parin.* V. 67. *ſenſiſſet Scylla* pro *legiſſet.* V. 74. *quisque faveto* pro *favete.* V. 78. *cura tuae eſt* pro *cura tuae.* Scholia duplicia ſunt, quae a prima manu, potiſſimum hiſtorica et mythologica explanant, quae a ſecunda pallidiore, συγχρονῷ tamen, plus ſenſui et vi Poetae dant.

III. *fol.* 70. p. 2. *Incipit noua poetria Magiſtri Ganfredi.* Ita tamen, ut proſaica ad eam Introductio jam in *fol.* praeced. p. 2. margine auſpicetur, eamque deinceps ſequatur per Poematis margines Commentarius. Introductionis initium eſt: *In principio huius libri videndum eſt, quid tractetur in hoc opere, et quare, et qualiter. Quid tractetur, ocius videbitur, ſi materia videatur. Materia huius libri eſt artificioſa eloquentia hoc eſt rethorica, ſecundum quam docet auctor poetas artificioſe et metrice loqui* &c. Non edidit proſaicam hanc Partem *Leyſerus*, a quo Poema ipſum in *Hiſt. Poet. med. aevi* p. 862. habemus, quan-